



# **Exercitationis philosophicae ad Cartesii princip. philos. part. 1. art. LXXVI. de officio philosophi circa revelata, pars prima**

<https://hdl.handle.net/1874/341650>

EXERCITATIONIS PHILOSOPHICÆ  
A D

CARTESII PRINCIP. PHILOS. Part. 1. Art. LXXVI.  
D E

OFFICIO PHILOSOPHI  
CIRCA REVELATA,

P A R S P R I M A ;  
Q U A M,

Favente Deo Opt. Max.

S U B P R Æ S I D I O

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii,

*Publica ventilandam proponit*

HENRICUS van GALEN, Heerwaerdâ-Gelrus.

*Ad diem 2. Novemb. horis locoque solitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō lōc LXXXVII.

*Reverendis, Doctissimis, Vigilantissimis,*  
*V. D. M.*

- D. HENRICO van GALEN, Heerwaerdæ;  
D. DANIELI BEUKELAAR, Medioburgi;  
D. JOHANNI à DOESBURGH, Roterodami;  
D. P E T R O YVENIO, in Hauwert;  
D. CORNELIO STERTIO, in Bieselingen;  
D. REGNERO SOREAU, in Cuydelsteerdt;  
D. J A C O B O S A P P I O, Bommelæ;  
D. CHRISTOPHORO NEANDER, Slusæ;  
D. FIERT YPES PINEMÆ, in Varik;

Omnibus, singulis, & unicis, & nunc & olim  
Ecclesiæ Christi in *Varik* Ductoribus prudentissi-  
mis, Theologis solidissimis, Ecclesiæ ab omni  
errore defensoribus indefessis; Illi Parenti hono-  
rando, His ob amicitiaæ favorem mihi plurimum  
venerandis,

*Me, & hanc Disputationem Philosophicam,*  
*eo, quo par est, animo*

D. D. D.

HENRICUS van GALEN, *Resp.*

EXERCITATIONIS PHILOSOPHICÆ

A D

CARTESII PRINC. PHILOS. Part. I. Art. LXXVI.

D E

OFFICIO PHILOSOPHI  
CIRCA REVELATA,

P A R S P R I M A .



Resonat jam dudum universum Belgium  
thematibus novis, quibus aliquo tempore  
abhinc inquietarunt quidam docentium at-  
que discantium scholas, de Lumine Ratio-  
nis ac Revelationis eum in modum philoso-  
phantes, ut nullam huic reliquam faciant cer-  
titudinem aliam, quam quæ omnis ex illo veniat derivanda.  
Dudum est, quod qui ex recentioris Philosophiæ princi-  
piis sapere instituerunt, postquam conclusiones suas Divino-  
rum oraculorum dictatis adeo parum congruas experirentur,  
ut de conciliatione desperarent, hæc carpere, quam illis va-  
ledicere, maluerint. Hinc non absque gravi piarum aurium  
offensione audita sæpius tristes illa vox, Spiritum Sanctum  
in Sacris Literis, quando de rebus naturalibus sermo est,  
passim loqui, non secundum rerum veritatem, sed ex erro-  
nea insipientis vulgi opinione. Quæ assertionem quandoquidem  
non obscure Scripturarum majestas fulgori suo restituenda  
innuitur per discussas hæc nubes ex rationis, accuratius sci-  
licet philosophantis, lumine, haud deerant illicò providi re-  
rum æstimatores, qui animò pridem præfagebant, quò  
exitura tandem foret sibi relicta istæ philosophandi licentia.  
Neque sefellit infelix eventus; prosiliente brevi ex Philoso-  
phorum hac methodo insistentium cavea *Vera Philosophiæ Sa-*

*era Scripturae Interpretis infallibilis assertore.* Quo quidem infami exemplo nunc saltem Virorum, quibus non planè abjecta erat Sacrorum reverentia, usque eo aperiendos esse oculos, ut prospectarent tandem, quò abducant, quæ rationi nimium circa Sacra indulgent, hypotheses, ii quibus religionis causa cordi erat sperabant. Atquì, proh dolor! nihil eos, qui unam rationem suam semel deperire cæperunt, terre potuerunt vestigia: ne eos quidem, qui præ aliis illorum periculum olim observarunt, quique ante cæteros in impugnanda publicè, neque uno volumine, hac impietate fervidi fuere. Quin ipsos hos excæcavit usque eo rationis admiratio, ut longius quoque provecti fuerint, quam ausus paradoxus Scripturarum Interpretes; insuper habentes & quod imminet ex applaudentis Socinismi vicinia scandalum, & quod reclamat consentiens Christiani orbis suffragium, & (quod unum nostri erit nunc instituti) quæ planè in oppositum eunt Cartesii sui placita. Infelix seculum! quo qui Nobilis Philosophi reverentiâ ducuntur salivam Viri lambunt in eis potissimum quibus à trita via recedit; istic unicè fermè deserunt, ubi ipse à communi Christianismi fide ac professione alienus videri noluit. Præposteram hanc agendi rationem quando in capite omnium gravissimo seridè expendit animus, non potuit temperare calamo justa indignatio, quo minus paucis, quantum sinet otium & valetudo, revocet sic instituentes ad celeberrimum Viri comma, quo universam rei summam quam accuratissimè atque pulcherrimè compendificet. Meretur sanè periodus aurea,

*Aurea perpetua semper dignissima vita!*

quæ integra cum marginali lemmate hùc adscribatur: brevis etenim est; neque absque textu ipso percipi satis poterunt, quas nostra hæc Exercitatio in eam dabit, observationes. Sic lego:

Cartesii

„ Præter cætera autem, memoriæ nostræ  
„ pro summa regula est infigendum, ea quæ  
„ nobis à Deo revelata sunt, ut omnium cer-  
„ tissima, esse credenda: Et quamvis fortè lu-  
„ men rationis, quàm maximè clarum & evi-  
„ dens, aliud quid nobis suggerere videretur,  
„ soli tamen auctoritati Divinæ potiùs, quam  
„ proprio nostro iudicio, fidem esse adhiben-  
„ dam: Sed in iis de quibus fides divina ni-  
„ hil nos docet, minimè decere hominem Phi-  
„ losophum, aliquid pro vero assumere, quod  
„ verum esse nunquam perspexit; & magis fi-  
„ dere sensibus, hoc est, inconsideratis infantia  
„ suæ iudiciis, quàm maturæ rationi.

*Aucto-  
ritatem  
divinam,  
perceptio-  
ni nostræ  
esse præ-  
feren-  
dam:  
sed ea se-  
clusâ non  
dece-  
re Philo-  
sophum  
aliis  
quam per-  
ceptis  
assenti-  
ri.*

T H E S I S I.



Ubi ex artis præscripto plura commendaturi sunt præcepta, id attendunt imprimis, ut quod cæteris momentosius est, ac præ aliis fideliter observandum, ultimo loco id inculcent; quo animus hoc stimulo dimissus omnium minimè obliviscatur quod erat maximè infigendum. Non absimilem methodum in eo quem exhibuimus textu observabit, quisquis diligentius nobiscum expendet locum atque occasionem, quibus exaratum eum voluit Nobilis Auctor. Undè constabit simul, quod universo negotio præcipuum addet pondus, quæ sint personæ quarum usibus observandam præscribit regulam, & quo casu.

PRÆTER CÆTERA AUTEM, inquit, MEMORIÆ NOSTRÆ PRO SUMMA REGULA EST INFIGENDUM, &c. Quibus verbis revocatur animus Lectoris ad ea, quæ hætenus à Nobili Philosopho inculcata fuerunt, quibusque his verbis additur erat colophonem. Res omnis summatim sic habet. Initium Principiorum suorum fecerat à debita Philosophaturi per *universalem dubitationem* initiatione. Interim *existentiam sui*, tanquam rei cogitantis, ut punctum Archimedæum, repererat. Dei dehinc *existentiam*, ac illa ejus attributa, quorum est primarius in philosophando usus, investigaverat. Indè de *errorum tum causis tum remediis* dissererat, ac quo quis felicius sese eis liberaret, primùm instituerat *summatim enarrare simplices omnes notiones*, ex quibus cogitationes nostræ componuntur, & quid in unaquaque sit clarum, quidque obscurum, sive in quo possimus falli, *distinxerat*. Quæ omnia ubi præstitit suo more; pressius detegere instituit *quatuor primarias ac præcipuas errorum omnium causas*, quantum sufficit ad claros & distinctos conceptus ab obscuris & confusis dignoscendos. Tandem §. LXXV., qui hunc nostrum proximè antecedit, universam dissertationem brevi recollectione absolvit, inque unam *summam* contrahit ea quæ observanda sunt ad serio ac rectè philosophandum, veritatemque rerum omnium cognoscibilem indagandam. Totum ad duo capita revocat, quorum alterum est, *Præjudiciorum omnium depositio*; sive accurata cautio, ne ullis ex opinionibus olim à nobis receptis fidem habeamus, nisi prius, iis ad novum examen revocatis, veras esse comperiamus. Alterum, *Attentio ordinata ad notiones*, quas ipsimet in nobis habemus; sic ut ea omnes ac sole, quas sic attendendo clarè & distinctè cognoscemus, judicanda sint vera. Quibus paucis præcipua cognitionis humane principia aded illi contineri videntur, ut promittat sic agentibus usum claros & distinctos omnium rerum cognoscibilem conceptus formandi. Quibus quidem omnibus pertractatum videri poterat, quicquid observandum est,

ad

*ad rectè philosophandum. Atquì non ità visum Cartesio; cui, PRÆTER CÆTERA ista, quæ hætenus tradita ab ipso fuerant de evitandis erroribus, rerumque omnium veritate indaganda, non absolvendus erat tractatus hic Metaphysicus, absque necessaria cautione, observanda circa auctoritatem divinam, sive ea quæ nobis à Deo revelata sunt: eaque tanti momenti, ut pro SUMMA REGULA haberi velit. SUMMA, inquam, absque qua neque præjudiciorum omnium depositio, neque ad infitas noiones attentio ordinata, ad seriò philosophandum sufficiens habenda fit: quamobrem nec sine ea regula tanquam SUMMA claudenda erant pauca, in quibus præcipua cognitionis humane principia continentur.*

I I I.

Indè neque obiter ejus hic mentio fit, sed inculcatur tanquam MEMORIÆ INFIGENDA. Scitè sic Auctor, quandoquidem nimis quam facilè accidit, philosophantem usque ad eò indulgere suis speculationibus, ut, omnium securus earum filo inhæreat totus, nihil præter mera rationis placita ad eas gubernandas attendens. Vetat id exertim lex, quæ MEMORIÆ INFIXAM vult regulam circa res fidei summè observandam.

I V.

Undè simul patescit, cui, sive cujus usibus, regulam hanc præscriptam voluerit Cartesius? HOMINI nempe PHILOSOPHO, quemadmodum habet textus; seu PHILOSOPHO, ut habet margini adscripta nota. Et quidem Philosopho sese componentì ad seriò ac rectè philosophandum, veritatemque omnium rerum cognoscibilem indagandam; sicuti loquitur nostrum hunc proximè præcedens Articulus: quicum hic ità connectitur, ut, præter cætera, quæ istic loci inculcata fuerant, tanquam summa eorum quæ observanda sunt ad rectè philosophandum, præprimis hùc pertinere innuatur religiosa hujus regule, ut summa, memoriaque fideliter infigenda, observantia.



## V.

Neque hoc loco duntaxat, alibi quoque constanter sic Nobilis Auctor; quod quæ deinceps suis locis ex illo erunt alleganda facient planissimum. Et quis dubitet, num rectè atque rei naturæ convenienter philosophanti inculcetur *præter cætera, tanquam summa regula memoriæ insigenda*, eorum quæ à Deo revelata sunt prudenter esse habendam rationem, qui unquam cum Ratione Revelationem contulit, hujusque præ illa dignitatem & excellentiam, quemadmodum oportet, observavit? Fusiores dissertationes postulat hoc argumentum, quam quæ instituti nostri limitibus caperetur. Verbo ex multis unum. Quo majora sunt quæ homini, etiam Philosopho, promittit eorum quæ divinâ gratiâ revelata sunt fides, quam quæ præstare unquam valet perfectissimum quoque naturalis rationis lumen; hoc diligentius homini, etiam Philosopho, si suæ salutis prodigus esse noluerit, id venire cavendum ante omnia, nequid unquam hujus usu illa patiatur detrimenti, res ipsa clamat. Nemo itaque, nisi vel Revelationis omninò expers, vel profanus ejusdem contemptor, philosophari se rectè putabit, ad perfectionem naturæ, nisi certus sit, se tutò philosophari, absque præjudicio gratiæ. Graviter itaque atque meritissimo jure monet Cartesius, philosophaturi *memoria, præter cætera, pro summa regula insigendum*, diligentem esse habendam rationem rerum fidei.

## V I.

At verò qualem? Præcipit, EA QUÆ NOBIS à DEO REVELATA SUNT, UT OMNIUM CERTISSIMA, ESSE CREDENDA. Attendere vult Philosophum EA QUÆ NOBIS à DEO REVELATA SUNT; sive ea, quemadmodum sequitur, *de quibus fides Divina nos aliquid docet*; qualia sunt quæ solâ auctoritate divinâ menti cognoscenda offeruntur, ut habet Articuli nostri textus: quæque idcirco hîc considerantur oppositè ad ea quæ *lumen rationis nobis suggerit*, ut ipse se explicat Auctor; de quibus hætenus fuerat actum, quæque huma-

na cognitionis esse, dixerant ultima præcedentis Articuli  
ba. Quælibet scilicet veritatis manifestatio menti nostræ facta  
revelatio quidem dici potest; sed usu obtinuit, ut ea *reve-*  
*lata* esse dicantur, quæ nobis ratione utentibus sese neque  
suâ sponte offerunt, neque nostrâ industriâ; sed quæ menti  
cognoscenda sistuntur ab aliquo extra nos, sive is Homo fue-  
rit, sive Angelus, sive Deus.

#### V I I.

De hisce hoc loco sermo est: eaque homini Philosopho  
ESSE CREDENDA, præcipit regula; id est, quemadmodum  
rursus semet ipsum explicat Philosophus in sequentibus, *fidem*  
*eis esse adhibendam propter solam auctoritatem divinam.* Ni-  
mirum cum mens nostra assentitur rei cuiquam quæ tanquam  
vera recipienda proponitur, fundamentum ut certitudinis ita  
quoque assensus nonnunquam in re ipsa hæret, cui assenti-  
tur: quo casu omnis animi conversio est in rem ipsam, qua-  
tenus intrinsecâ sui necessitate mentem ad assensum impellit.  
Atque ejusmodi assensus propriè dici solet *Scientia.* Accidit  
interim sæpè, ut basis quâ nititur noster assensus sit sola ejus  
qui rem ut veram recipiendam proponit auctoritas: quæ  
quoniam rebus recipiendis est extrinseca, mentis quoque cre-  
dituræ, ut credat, attentio non tam est ad rem credendam,  
quam ad *ἀξιωματικὴν* ejus qui credere eam jubet. Atque id ac-  
curatè loquendo est *τὸ credere*, quatenus, uti hoc loco fit,  
opponitur *τῷ sciire ex lumine rationis.* Quamobrem accura-  
tè Philosophus *quæ à Deo sunt revelata credenda esse* dicit: ut  
enim Revelatio Rationis sphæram excedit, ita fidei, non  
scientiæ, objectum est quicquid supra ac præter rationem à  
Deo revelatur. Ad Magistrum itaque suum remittendi, un-  
dè discant quid Fides distet à Scientia, quæ ea æquè credi con-  
tendunt quæ per rationem quam quæ per revelationem co-  
gnoscimus. Verum textus sequamur filum!

#### V I I I.

Is à Deo revelata non simpliciter *credenda esse* monet, sed  
cre-

creda *UT OMNIUM CERTISSIMA.* Certitudo propriè  
entis affectio est, & significat stabilitatem assensus, funda-  
tam in ejusdem convictione de rei cui assentitur necessaria  
veritate. Hinc res ipsa *ut certa* recipitur, quoties animus  
firmâ persuasione, citra ullam hæstationem aut fluctuatio-  
nem, eam veram esse censet. Quæ convictio sive persuasio  
suos patitur gradus; indèque res una tanquam certior altera  
à nobis recipitur, quoties fundamentum ob quod illi assen-  
timur majoris minorisve necessitatis esse deprehenditur. Sum-  
mus itaque certitudinis gradus erit, quandò in re cui mens  
assentitur tanta se prodit veritatis necessitas, ut nulla unquam  
formidine erroris inquietari ea possit. Atque hunc ipsum in  
recipiendis iis quæ à Deo revelata sunt exigit Cartesius.

I X.

Quin, non absolutè tantum ut prorsus certa ea recipi vult,  
sed comparativè quoque *ut omnium certissima.* Certissima  
puta illorum *OMNIUM*, de quibus *lumen rationis nobis sugge-  
rere aliquid videtur*, quemadmodum est in verbis textus quæ  
hæc excipiunt: sive *omnium*, quæ ad *cognitionis humana prin-  
cipia* spectant, ut est in fine præcedentis Articuli. Quid  
ponderis habeat comparativa phrasis, tum demum intellige-  
tur, quandò attenderimus, quo loco Cartesius habuerit ea  
quæ tradidit *cognitionis humana principia.* Metaphysicas co-  
gitationes de Deo & Mente Humana quod attinet (quarum  
synopsin habet hic Liber Primus Principiorum, qui hac pe-  
riodo clauditur) illas ita se *prosecutum fuisse* gloriatur Nobilis  
Auctor, *ut pro certissimis & evidentissimis demonstrationibus*  
*illas ausit proponere; quas existimet certitudine & evidentia Geo-  
metricas equare, vel superare.* Aded, *ut illum cogat cause*  
*necessitas & gloria Dei* eas tales pronunciare, *ut non putet, ul-  
lam viam humana ingenio patere, per quam meliores inveniri*  
*unquam possint.* Epist. Dedicat. ad Facultat. Theol. Parisiens.  
*Medit. præfixâ.* Quantum ad Physicam, cujus compendium  
exhibent cæteri Tres Principiorum Libri, quibus hanc regu-  
lata

Iam præmissam voluit, & illam usquè eo in numerum *Ma-*  
*thematicarum demonstrationum recipiendam* esse contendit, ut  
injuriam Deo facere videretur, si quis causas rerum, quæ tra-  
dit, falsas esse suspicaretur. Confer Part. II. Art. Ult. cum  
Part. IV. Art. penult. & Part. III. Art. XLIII. Revelata à  
Deo ut omnium horum talium certissima credere jubet.

X.

Et hoc quidem (quicquid de isto sit) rectissimè! Reci-  
piendum enim esse ut *omnium certissimum*, quod nititur fun-  
damento veritatis omnium maximè infallibili, per se claret.  
Jam verò rebus à Deo revelatis divinà fide credenti ejusmo-  
di se offert fundamentum Divina auctoritas semper & ubiquè  
verax, fallere atque falli absolutè nescia. Quod privilegium  
cum præsumi ne quidem possit de lumine rationis, prout id  
existit subjectivè in homine, neque integro illo quò recens  
ex manu Dei fuit gavissus, immenso profectò post se inter-  
vallo relinquit Revelationis certitudo omnem illam, quæ à  
lumine rationis, etiam quam maximè claro ac ordenti, sug-  
geri nobis videtur. Atque non potest non multo plenior  
esse veritatis certioratio, quæ menti directè obtingit per ma-  
nifestationem immediatè ab ipsa prima veritate factam, quam  
alia omnis, quæ, etsi quoque suo modo ac ordine Deum  
habet auctorem, per intermedias interim causas & occasio-  
nes menti patefit; indèque est debilior hoc ipso, quia à  
prima veritatis origine Deo recedit longius. Principia per se  
nota attendamus! Ea, cum conclusionibus, necessarià quo-  
que sequelâ indè elicitis, si conferantur, haud parùm effica-  
cius mentem afficiunt. Illa nimirum per se, hæc per illa,  
innotescunt. Ad instar luminis se res habet, quod etsi con-  
tinuâ serię à luminari fluit, eo tamen sentitur languidius quo  
à fonte recessit majori distantia. Idem hoc alibi scitè obser-  
vavit Cartesius, asserens, *illud propter quod fidem amplectimur*  
*esse omni naturali luce illustrius*. Quoniam puta ratio forma-  
lis propter quam rebus fidei assentimur consistit in lumine quodam  
inter-

inerno, quo à Deo Supernaturaliter illustrati confidimus, ea quæ credenda proponuntur ab ipso esse revelata, & fieri planè non posse ut ille mentiatur; quod omni nature lumine certius est, & sæpè etiam, propter lumen gratiæ, evidentius. Respons. Secund. p. 78. Benè igitur Philosopho præscribitur, Præter cætera, pro summa regula memoriæ insigenda, ea quæ nobis à Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda.

## Annexa Defendentis.

- I. **D**ubitationem universalem rejicimus.
- II. Decantatum Cartesii, Cogito ergo sum, in numerum primorum principiorum non recipimus.
- III. Ex certa mentis, tanquam rei cogitantis, & dubia corporis existentia distinctionem inter animam & corpus non cognoscimus.
- IV. Mentem nostram nobis corpore nostro notiozem esse negamus.
- V. Argumenta ex idea Dei petita, in accurate Dei existentiam, sed ex subordinatione causarum directè inferre, tuemur.
- VI. Dei ideam omnium clarissimam & distinctissimam in nobis non observamus.
- VII. Ex Dei cognitione creaturarum cognitionem nos deducere non posse, asserimus.
- VIII. Infiniti modestam disputationem non recusamus.
- IX. Creatoris non-nullas causas finales, quas habuit in creando, inquirendas esse, judicamus.
- X. Veracitas divina nostram claram & distinctam perceptionem normam affirmandorum non ponit.
- XI. Erroris nostri causa à sola voluntate non dependet.
- XII. Libertas indifferentiæ absoluta in nobis pugnat cum Dei independentiâ.
- XIII. Substantia male definitur res, quæ ita existit, ut nulla re indigeat ad existendum.